

frumenta pretio nunc communi vendere, & suas pecunias permutare, aut mutare. Hæc sequuntur ex principiis positis, & docent Sylvius, Henricus a S. Ignatio, Perfector Tournelli, & alii. An vero id etiam possint ipsi Senatores, dabitur. Quidam affirmant; quia inquirunt, ratione sui officii non debent esse peioris conditionis, quam ceteri. Alii negant quia ex officio tenentur prospicere, ne suis legibus unus Civis præ alio gravetur; & hoc est probabile. Unde juxta hanc Sententiam id solum possunt vendere, aut emere, quod secluso illo edicto vendissent, aut emissent. Saltim constat ex ratione mox data, quod non possint promulgationem edicti differre ex industria, aut alias emanat. Item eadem ratione constat, quod non possint hoc edictum suis amicis revelare: adde, quod ex officio teneantur servare secretum; quamvis, qui illud adepti sunt, possint scientia sua uti ad consulendum suæ indemnitate.

Etiam dubium est, an, qui privatim novit aulam brevi discessuram, unde minuendum est pretium ædium locandarum, possit locare suas ad annum pretio currente? Negat Sylvius; quia, inquit, dum domus valet, sed eo quo verisimiliter putatur toto anno valitura. Verum reponi potest, in elocatione domus vendi jus ad eam habitandam per annum, jus autem illud prærens secundum communem æstimationem tantum valet. Negant item laudatus Sylvius, cum, qui privatim novit librum brevi esse prohibendum, posse eum vendere pretio currente; quia, quod liber sit prohibendus, est propter quoddam vitium, quod cum sit prærens, nec ita ignotum, quod ab expertis in arte, si examinarent, non possit dignosci, minuit valorem præsentem libri, sicut diximus de equo postredidit ex morbo morituro. Et hoc est probabile.

2. Colliges, eum, qui privata scientia novit herbam exquisitæ virtutis in fasciculo herbarum exposito in foro ad pabulum pecorum, aut librum rarum & pretiosum expositum venaliter in foro veteramentorum cum aliis quisquiliis, aut delatum ad officinam pro cucullis aromatum, posse & fascicem & librum vili pretio, proût communiter æstimatur, emere absque ulla obligatione quidquam restituendi. Quia, licet virtus herbarum, & contenta in libro videantur pertinere ad intrinsicam eorum bonitatem, tamen hoc ipso quo ad usus viles sunt destinata, aut inter quisquiliis venalia exponuntur, censentur amisisse pretium, quod ex sua intrinsicâ bonitate haberent, nec aliter æstimari, quam in ordine ad usus viles, ad quos destinatur, aut sicut æstimantur ea, quibuscum exponuntur venalia. Sicut apprehendit communis sensus hominum etiam timoratorum, à quo valor rerum & pretium æstimatur. Unde bonæ fortunæ & industriæ ementis adscribendum est, si ex his & similibus communiter vili æstimatis aliquam specialem utilitatem percipere possit.

Idem dico a fortiori de eo, qui novit thesaurum latere in agro, aut unionem in ventre piscis; quia præter rationem datam, quod neque ager ratione thesauri ignoti, neque piscis ratione unionis plerumque communiter æstimantur, est alia ratio specialis, quod thesaurus non sit pars fundi, nec unio pars piscis, quodque non subiaceant dominio possidentis agrum, aut piscem, sed sint nullius & primò occupantis, ut alibi diximus.

Secus est dicendum propter oppositam rationem de eo, qui emerit saccum frumenti, aut lupuli, in quo pecuniæ, aut pretiosa mobilia essent abscondita; quia ista mobilia, cum non sint, ut suppono, thesaurus, non sunt primò occupantis, sed habent dominum, sive ipsum vendentem, sive alium; & cum aliud sint quid extraneum lupulo vendito, vendens, quamvis foret eorum dominus, non intendit illa vendere cum lupulo, & ideo sunt restituenda domino; aut si sit ignotus, sunt in pios usus eroganda, ut alibi dictum est de bonis incertis.

Petes, utrum, qui bona fide emit rem pretiosam tanquam vilem, quia omnium etiam peritorum in arte iudicio reputabatur viliis, puta gemmam pro vitro, vas aureum pro æneo, sed post emptionem deprehendit pretiosa, teneatur restituere venditori? R. Videtur i. iatuitu resolvendum affirmativè; quia est error circa rei substantiam: non desunt tamen, qui resolvunt negativè; quia emit istud vas, vel gemmam, quantum valebat secundum communem æstimationem: ideoque justo pretio: & quamvis sit error in substantia physica, de ultimis voluntatibus. 4. Si res, quæ venditur, puta vicidarium, vel domus, pro majori parte perierit, penes emptorem est stare contractui, vel petere diminutionem pretii: si mediâ supersit, stat contractus; sed pro rata deteriorationis sub-

tiosam, tunc enim invalida foret venditio, quia rerum pretia non iudicio privato, sed communi constituntur, foretque tunc error in substantia, etiam moraliter considerata.

Dixi in conclusione. 1. *Seclusa fraude*; quia, fraude, aut mendaciis alliceret venditores ad vendendum, aut emptores ad emendum, puta dicens non esse futuram copiam mercium, cum sit futura; aut esse futuram, cum non sit; probabilis peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem, quia noceret aliis cum injuria; quilibet enim habet jus, ne per fraudem in damnum suum decipiatur, ideoque est rationaliter invitus. Neque dicas cum Serra & Banne, hoc mendacium solum fore officiosum, nempe ad vitandum proprium damnum. Non enim potest censi mendacium solum officiosum, quod est alteri causa gravis damni: neque nobis licet vitare damnum proprium per fraudes & mendacia, sed dumtaxat utendo eo, ad quod habemus jus, ut recte observat Sylvius hic. Quid ergo respondebit interrogatus, num futura sit copia mercium? Videtur, quod possit tacere; quia hic non agitur de qualitate mercis suæ: sed non potest dicere, se nescire; quia sic mentiretur.

Dixi 2. *Illusa iustitia*; quia potest contingere, quod peccet contra charitatem, ut si omnes merces, vel magnam copiam uni venderet, ex quo ejus fortuna funditus, vel insigniter everteretur, nullo pari damno imminente venditori. Item, si plus solito urgeat emptorem, ut plures quam soleat merces emat. Item, si sciens augendum pecuniæ pretium magnas summas mutuo accipiat, alioquin non accepturus. Immo, in his duobus ultimis casibus subesse injustitiam, opinatur Perfector Tournelli; tunc quia, inquit, ex communi hominum sensu, qui ita se gerunt pro deceptoribus habentur; tunc quia populus, a quo pendet pretium naturale, non ita consentit in pretium certo tempore pro mercatoribus constitutum, ut illud justum esse velit, quando inde sequitur grave emptoris detrimentum, nisi bona fides venditorem excuset. Ita laudatus Theologus, nec improbabiler. An omnino verè, non constat; quia non est certum, quod dicit de intentione populi statuendum: imò, si ita esset, omnes emptores aliquod damnum patientes reclamarent prætexendo malam fidem in venditore. Insuper non potest in rigore dici malæ fidei, qui vendendo rem communi pretio utitur jure suo.

## ARTICULUS VIII.

### Quæ res vendi possint?

Suppono generaliter ut certum, nos posse vendere omnia pretio æstimabilia (non itaque spiritualia, aut spiritalibus annexa) quæ nostra sunt in re, spe, jure, credito, seu quæcumque sunt nostri juris, nisi speciali jure prohibeamur. Circa quam suppositionem generalem observanda sunt sequentia. 1. Quamvis prohibeamur jure positivo donare omnia bona nostra, ut patet ex præcedentibus; non prohibemur tamen vendere omnia. Ratio disparitatis est, quod per donationem omnium bonorum homo fiat impotens ad testandum; quod leges tanquam odiosum reputant; at per venditionem omnium non fit instabilis, quia potest testari de pretio venditionis.

2. Si vendas fructus agri, aut fetus pecoris in spe, & nihil nascatur; emptor nihil solvere tenetur. Si tamen vendas jactum retis, aut venationem, & nihil capiatur, emptor tenetur solvere pretium pactum. Ita Jura statuunt, & ratio disparitatis est; quia in priori casu semper aliquid nascendum supponitur; unde subintelligitur hæc conditio, *si aliquid nascatur*; dicit enim emptor: emo fructus, aut partus, id est, rem ipsam; si proveniat. In 2. autem casu non supponitur aliquid semper capiendum; unde hæc conditio, *si aliquid capiatur*, non subintelligitur, & ideo non dicit emptor: emo predam, aut pisces, sed emo jactum, vel venationem, id est, spem præsentem; ideoque, si spes fallat, emptori fallit.

3. Res, aut actio litigiosa non potest vendi alteri potentiori, nisi ex justa causa, vel auctoritate Judicis. L. 2. C. *Ne liceat Pontentioribus*. Sed contrarium motibus nostris receptum est, inquit Daëlmann. Item neque vendi potest hæreditas sperata, ob periculum machinationis in mortem illius, cujus speratur hæreditas L. 1. ff. *De hæred. vel act. vendenda*. Consule Dissert. præced. de ultimis voluntatibus. 4. Si res, quæ venditur, puta vicidarium, vel domus, pro majori parte perierit, penes emptorem est stare contractui, vel petere diminutionem pretii: si mediâ supersit, stat contractus; sed pro rata deteriorationis sub-

## DE CONTRACTIBUS.

trahendum est de pretio arbitrato viri boni. L. *Domini* ff. *De contrah. empti*. His suppositis & notis, duplex superest difficultas. 1. Utrum res aliena possit vendi, vel emi. 2. Utrum possit vendi res, qua creditur emptor abusurus. Unde sit

### §. I. Utrum res aliena vendi possit, vel emi?

Dico: Si quis sciens vendat rem alienam non fungibilem emptori ignoranti, venditio eatenus est valida, quatenus transfert dominium pretii in venditorem, non tamen transfert dominium rei vendite in emptorem, sed tantum jus indemnitate contra venditorem, si res a vero domino evicatur. Ita varia Jura statuunt. L. *Rem alienam* 28. ff. *De contrah. empti*. L. *Si in emptione* §. *Item si ff. eod.* L. *Qui vas* §. *ult. ff. De furtis*. Ex quoad omnes partes conclusio. L. *Exemptio* 11. §. 2. ff. *De act. empti & venditi*, his verbis: *Si dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum; si non fuit, tantum evictiois nomine venditorem obligat, si modo pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum; emptor autem nunquam facit venditoris cogitur*. Ratio est; quia nemo potest plus juris in alium transferre, quam ipse habeat; vendens autem rem alienam non habet jus in illam, sed emens propriis pecuniis habet jus in illas: & ideo in jure dicitur, venditionem posse claudicare. L. ff. *De rerum peritu*.

Neque solum venditor tenetur refundere pretium emptori, si res vendita evicatur, sed etiam tenetur illi restituere; quanti cum interest rem evictam non esse, modo tamen emptor & ignoraverit rem esse alienam; alioquin scienti & volenti non fit injuria: & lite mota de evicione, dominus tenetur venditori, ut se defendat L. *Si contraversia*. L. *Si in emptione*. L. *Si feudum*. C. *De evict.* Unde vides, dominum, quod acquirit venditor in pretium, esse valde infirmum. Dixi: *rem non fungibilem*; quia quantum ad alienationem rei fungibilis, censetur consentire dominus, ut explicabo Dissert. seq. a. 6. §. 1. Similiter, qui sciens emit pecuniis alienis rem propriam venditoris, acquirit dominium rei vendite L. 1. & penult. C. *Si quis alteri* & L. *Si ex ea pecunia*. C. *De rei vindic.* Venditor tamen non acquirit dominium pecuniarum propter rationem superius datam; nisi dominus præsumatur consentire, ut dicam infra loc. cit. ut nisi forte sic misceatur cum suis, ut discerni non possint, sed habet jus indemnitate contra emptorem ut supra. Tandem, si tam emptor, quam venditor scient, rem esse alienam; contractus ex omni parte est nullus. L. *Si in emptione* 34. §. 3. ff. *De contrah. empti*. Quæ his opponi possunt ex jure nature, require loc. cit. Dissert. seq.

Petes, utrum semper peccet, qui scienter emit rem alienam? R. 1. Qui scienter emit rem alienam animo eam retinendi, peccat; quia, ut patet, est possessor malæ fidei. Nec ipsum juvat, quod forte, si non emisset, alii emisisset; quia & hi peccassent.

2. Qui scienter emit rem alienam modico pretio animo eam reddendi vero domino, si compareat, aut eam expendendi in usus pios, si facta sufficienti inquisitione, non compareat, laudabiliter agit: quia utiliter gerit negotium domini. Teneatur autem dominus, si compareat, reddere pretium hujusmodi emptori, quia in ejus gratiam, & ex præsumpto ejus consensu solvit. Quod si non compareat dominus, emptor potest illud sibi detrahere, vel etiam rem ipsam sibi retinere, erogando tamen in usus pios quantum deest, ut fiat justum rei pretium; in hoc enim nulla fit injuria domino. Quod si rem emerit justo pretio, non tenetur regulariter dominus illud totum refundere; quia in hoc emptor non gessit utiliter ejus negotium, sed tenetur tantum reddere aliquid modicum arbitratu viri prudentis. Dico: *regulariter*; quia, si emptor justum & rigorosum, imò excedens, pretium solverit, quia sciebat, aut prudenter existimabat dominum illud libenter fuisse datum, eo quod re sua multum indigebat, aut eam valde diligebat, tunc tenetur dominus totum emptori reddere; quia etiam in hoc negotium ejus utiliter gessit, saltim quantum prudenter æstimatum est.

### §. II. Utrum liceat vendere rem, qua creditur Emptor abusurus?

Nota 1. res quoad præsentem materiam possum considerare in duplici differentia. Quædam sunt ex modo, & forma sic determinata ad malum usum, ut nullum, vel vix ullum bonum habere queant: sic sunt v. gr. maleficium, philtum amatorum instrumentum libidinis, vestes muliebre ubera nudantes, libelli famosi, picturæ lascivæ.

vz, idola, vestes sacerdotales paganorum, aut alia ad cultum idololatriæ pertinentia. Alie sunt indifferentes ad bonum & malum usum, ut sunt arma, venena, luci, aleæ, taxilli, chartæ luxuriosæ, & innumera alia; vix est enim aliquid in mundo, quo non possit abuti malitia hominis. Inter hæc a quibusdam reponuntur idola; & vestes Sacerdotales Paganorum, quæ sicut ad idolatriam, ita ad ornatum, aut representationes theatrales inservire possunt. S. Th. tamen infra citandus reponit in prima differentia, quia loquitur de illis respective ad Paganos.

Nota 2. ex eodem S. Doctore, (Q. 13. de malo a. 4. ad 17. 18. & præsertim 19.) quod, quamvis pro nullo incommodo temporali liceat consentire in peccatum alterius, licet tamen pro vitando incommodo præbere illi materiam, aut occasionem peccati, non intendendo quidem peccatum ejus; sed nostrum incommodum, ideoque nos habendo permissivo ad ejus peccatum: ut contingit in eo, qui necessitate compulsus petit mutuum ab usurario. Illud autem incommodum vitandum debet esse proportionatum majori, vel minori proximitati, seu influxui occasionis, vel materiæ date; item majori vel minori gravitati peccati, quod inde sequitur, ut latius explicavi Dissert. 8. *De Restit.* art. 13. §. 6. & aliis locis ibid. cit. Ratio est; quia ponere materiam, vel occasionem peccati secundum se, & præscindendo a peccato sequenti, non est malum; alioquin nulla res vendi, aut arte confici posset, cum nihil sit, ut jam observavi, quod non possit esse occasio, vel materia peccati; sed in tantum peccat, qui ponit materiam, aut occasionem peccati, in quantum peccatum inde sequens est ipsi voluntarium; atqui ubi est justa ratio ponendi materiam, vel occasionem peccati, peccatum sequens non est ponendi voluntarium neque directè, neque indirectè: non directè, quia, ut suppono, non intendit illud, sed solum commodum, neque ex materia posita sequitur necessario, cum illa posita possit adhuc non fieri, nec fiat nisi ex malitia malè utentis neque indirectè & in causa; quia ad voluntarium in causa requiritur, quod agens possit, & debeat auferre causam; non debet autem in casu, cum, ut suppono, habeat justam rationem illam ponendi. Ex his spontè fluunt responsiones.

Dico 1. (*Ulic q. 169. a. 2. ad 4.*) Vendere communiter, & ex professo res, quibus homo vix, aut ne vix uti potest absque peccato, seu quæ ex modo, & forma sunt determinate ad malum usum, quales sunt, quas recensuimus in 1. notamine & similes, est illicitum; quia est directè præbere materiam, & occasionem proximam peccandi, quod nunquam licet absque aliqua justa, & proportionata ratione quæ hic non subest. Cum enim hic agamus de his, qui communiter, & ex professo talia vendunt, non potest adferri altera ratio, quam lucrum ex hujusmodi commercio, quod non est sufficiens, & proportionata ratio concurrenti tam directè, & propinquè peccato alterius. Dixi: *Vendere communiter, & ex professo*; quia, si mihi, casu habenti maleficium, philtum, idolum, aut quid simile, quis minaretur mortem, aut mutilationem, nisi vendam, possum vendere; quia conservatio vitæ, aut membrorum est sufficiens ratio negligendi alterius peccatum, sic ut non possit mihi dici voluntarium. Item, si mihi certo constaret, quod emens petat ad licitum usum v. gr. vestes Sacerdotales Paganorum ad Tragædiam, libellum famosum ad refutandum, aut ad instructionem propter alia utilia in eo contenta, possem absque ulla ratione vendere.

Dico 2. Vendere absque justa causa res indifferentes ad bonum, vel malum usum illi, qui verisimiliter creditur abusurus, e. t. etiam illicitum propter eandem rationem, quia scilicet est sine causa præbere alteri occasionem peccandi, & ad ejus peccatum concurrere; quod non licet. Adde, quod unusquisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, quando commode potest. Subsistente autem justa & proportionata ratione, id non est illicitum; quia tunc peccatum alterius non potest dici vendenti voluntarium, etiam indirectè, seu in causa, cum non teneatur amovere causam, sed e contra habeat justam rationem illam ponendi, & peccatum alterius negligendi: nec tam gravis ratio requiritur, quam in prima conclusione; quia res, quæ venditur, non est determinata ad malum usum; sed indifferentes ad bonum, vel malum. Sic pergenti ad duellum, & mihi mortem, aut grave malum minitanti, nisi vendam gladium, possum vendere. Sic se inebriaturus, aut violaturus jejuniis, possum cibum, & potum vendere, si ex denegatione immincant graves rixæ, aut blasphemie; quia hæc rationes negligendi peccatum alterius sunt justæ.

An vero id etiam mihi liceat, ne emptores deserant officinam meam, & inde lucrum speratum amittant? R. Hhh 2 Quod



Quod pauca deserant officinam, & inde aliquod lucrum amittant, non videtur sufficiens ratio præbendi alteri materiam, & occasionem peccandi; secus, si idem omnes, vel plurimi desererent, & inde grave lucrum cessans pati deberem. Hac ratione videntur excusandi, qui merces in sua Provincia venales, & permissas vendunt iis, quos sciant eas translaturis in provincias, in quibus sunt interdictæ, vulgò *contrehandiers*, si recusando vendere huiusmodi emptoribus eorum commercium petitis, aut magna ex parte corruet, nec aliud commode exercere possent.

Dico 3. Vendere res, quibus homo potest bene, vel male uti, quando non est legitima ratio suspicandi emptorem abuturum, nulla ratione prohibetur; alioquin, ut jam pluries notavi, nulla res vendi potest; cum nulla sit, qua homo abuti non possit: neque scrupulosè inquirendum est de intentione emptorum, ubi nullum est indicium malæ voluntatis; sic passim venduntur fuci, alex chartæ lussorie, arma offensiva, & alia plura similia, quamvis plures sciantur in communi eis abuti. Confer diligenter locum supra cit. de restitut. Utrum officia possint vendi, diximus alibi.

## ARTICULUS IX.

Cui res vendita pereat, aut fructificet.

ERTUM est, rem venditam & traditam soluto pretio, vel assureato, sive per piguus, sive per fideiussorem, sive per fidem habitam emptori, perire, aut fructificare emptori; quia tunc unâ cum pleno dominio omnia rei commoda, & incommoda in eum transferuntur. Dixi: *solutio pretio, vel assureato, aut fidei habitâ*; quia secunda Jura §. *venditæ* 41. Inst. *De rerum divisione*, expressè statuitur rei venditæ dominium non aliter acquiri emptori, quam si is venditori pretium solverit, aut fideiussore, vel pignore assureaverit, aut nisi venditor fidem emptoris secutus fuerit, hoc est, consenserit vendere credito bene fidens bonæ fidei emptoris de pretio postea solvendo. Idque conformiter rationi; quia non transferitur dominium per venditionem nisi volente venditore: venditor autem non censetur velle transferre rei suæ dominium, nisi emptor ex parte sua compleverit contractum per pretii solutionem, aut assureationem, aut nisi ipse venditor significaverit se velle credito vendere; alioquin merito rem venditam sibi realiter obligatam tenet in pretii solvendi securitatem. Cui in isto casu res pereat, aut fructificet, patebit ex sequentibus.

Difficultas ergo est: cui res vendita, sed non tradita, aut tradita sed non soluta, pereat, aut fructificet. Et quidem primo intuitu videtur perire, aut fructificare domino. Attamen Jura aliter statuunt. Quapropter sit

§. I. Cui res vendita &amp; non tradita pereat?

Nota. Res vendita, vel est determinata in individuo, ut hæc ovis, hæc duæ oves, hic ager, hoc vini dolium, hic grex ovium; vel est indeterminata in individuo, ut 10. modii ex acervo, 10. oves ex grege, eas non designando, seu determinando. Iterum res determinata in individuo potest vendi vel ad corpus, hoc est, prout corpus sensibus obijcit unico pretio sine ordine ad mensuram, pondus, aut numerum, ut si dicam: vendo tibi hoc vini dolium 50. libellis, hoc prædium mille libellis, hunc gregem 500. libellis. Vel vendi potest ad mensuram; pondus, aut numerum, ut vendo tibi hoc vini dolium, quodlibet poculum 20. assibus, hoc prædium 50. libellis pro singulis jugeribus, hunc gregem 5. libellis pro qualibet ove. Et nota, quod, quamvis rei venditæ quantitas exprimitur post totum, sit tamen venditio ad corpus, si singulis mensuris suum pretium non assignetur, sed totum unico pretio vendatur, ut si dicam: vendo tibi 50. libellis hoc vini dolium, contineas 100. pocula. Aliud foret, si dicerem: vendo tibi 100. pocula ex hoc dolio; tunc enim esset venditio rei indeterminata, non enim hæc potius, quam ista pocula.

Dico 1. Res absolute vendita, etiam non tradita, si sit determinata in individuo, & ad corpus vendita, perit emptori, modo tamen non intercesserit culpa, aut mora venditoris, seu aliter non sit conventum. Idem dicendum a fortiori de re tradita, sed non soluta, cuius dominium diximus manere penes venditorem. Est communis. Prob. §. *Cum autem* 3. Inst. *de empt. & vendit.* Libr. 3. tit. 23. sic statuitur: *Cum autem emptio & venditio contracta sit quod effici dixerint simul atque de pretio convenerit, cum sine*

*scriptura res agitur) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tamen adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si... ades totæ, vel aliqua ex parte incendio consumpta fuerint, emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo & culpa venditoris occidit, in eo venditor securus est. Sed, etsi post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet; nam & commodum ejus esse debet, cuius periculum est. Idem statuitur L. *Quod sæpè* 35. §. 4. ff. *de contrah. empt.* l. 18. tit. 1. & L. *Id. quod ff. de periculo & commodo rei vend.**

Ratio est; quia venditio absoluta rei determinatæ est de se sufficiens ad transferendum dominium; quod autem non transferat, est ex dispositione legum, quæ sic statuerunt: porro leges, impediendo translationem domini ante traditionem, noluerunt impedire, quia omnia rei commoda & incommoda pertinent ad emptorem, perinde ac si dominium rei in illum esset translatum, ut patet ex cit. Juribus.

Dixi 1. *Res absolute vendita*; quia venditio conditionata non est perfecta venditio ante purificationem conditionis. Non tamen debet censi conditionata venditio, si contraheutes conveniant, irritam fore venditionem, si emptor statuto tempore non solvat; id enim tantum significat, venditorem posse, si voluerit, resilire a contractu, si emptor non solvat. L. *Cum venditor* 2. ff. *de fideicom.* l. 18. tit. 3. Dixi 2. *Modo non intercesserit culpa, aut mora venditoris*, ut fert Lex *Cum autem* cit. Et patet; quia tunc venditor est causa damni; tenetur autem venditor rem custodire sicut suam L. *Quod sæpè* cit. Imò ut commodatum L. *Custodiam ff. de peric. & commodo* l. 18. tit. 6. Quod si tam venditor, quam emptor in mora fuerint, tenetur de damno, qui posterior est in mora, modo prior mora non fuerit causa posterioris. L. *Illud sciendum* 17. ff. eod. Si vero uterque æqualiter in mora fuerit, ut si uterque abfuerit tempore, quo res erat tradenda, solius emptoris periculum est. L. *Si per emptorem* 51. ff. *de act. empti* libr. 19. tit. 1. Dixi 3. *Aliiter non sit conventum*; quia contraheutes possunt renuntiare dispositioni legis, & venditor in se suscipere periculum rei, quo casu ipsi perit L. *Si vinum* 1. ff. *de peric. & comm. cit.*

Dico 2. Res indeterminata, vel etiam determinata, sed vendita ad mensuram, pondus, aut numerum, ut explicatum est, perit venditori, si pereat, antequam tradatur, vel mensuretur, ponderetur, aut numeretur; nisi emptor fuerit in mora. Ita communiter.

Prob. ex L. *Quod sæpè* cit. §. *in his* 5. ubi decernitur: *talium venditionem perfici, cum adnumerata, admensura, adpensusve sint, quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quas quasque admensuraverit, aut in singulas libras, quas appenderit, aut in singula corpora, que adnumeraverit.* Audis rationem; quia nimirum huiusmodi venditio fit sub conditione, si res tradatur, si designetur, si mensuretur, ponderetur, vel numeretur; quæ designatio, mensuratio, ponderatio, aut numeratio, cum debeat fieri coram emptore, aut ejus vices gerente, est quædam traditio.

Hinc inferes, quod, si 10. oves ex grege tuo vendideris non designatis, & totidem pereant, tibi perent & non emptori, cui 10. alias ex eodem grege dare teneris. Sed, si totus grex pereat, contractus dissolvitur, nec teneris alias dare, nec emptor tenetur solvere, & solum debet restituere. L. *In ratione* §. ff. *ad Leg. falcid.* At si vendideris 10. oves sine determinatione ad aliquem gregem, quæcumque pereant, tibi perent, nec debito liberaveris quamdiu alias oves præstare poteris; quia genus perire non potest. L. *In ratione*. Ita communis contra quosdam, qui ob argumentum sequens sentiunt contrarium secundæ parti corollarii.

Dices enim: dum venditur unus v. gr. equus ex duobus disjunctivè, non designando hunc vel illum, si uterque pereat, emptus perit emptori, qui tenetur solvere pretium, etiam si nihil acceperit. Si in emptione 34. ff. *de contrah. empti* l. 18. tit. 1. ergo similiter dum 10. oves ex grege emuntur disjunctivè, pereunte grege 10. oves perent emptori, & tenetur de pretio venditori. R. N. Consequens est, quod venditio unius ex duobus non sit facta sub conditione designandi, aut numerandi, sed sit absoluta ex L. cit. in qua etiam exprimitur, esse venditoris dare quod voluerit emptum de duobus. At venditio unius, aut plurium ex pluribus, vel ex toto puta grege, vel cumulo, fit sub conditione, si res designentur, numerentur, &c. ut patet ex L. *Quod sæpè* cit.

Dixi: *Nisi emptor fuerit in mora*; quia, si certus terminus præfixus fuit ad traditionem, mensuram, &c. aut ven-

## DE CONTRACTIBUS.

venditor moneat emptorem, ut infra certum & rationabile temporis spatium ad mensurationem, &c. compareat, & ipse emptor culpabiliter sit in mora; rei periculum ad ipsum spectat.

§. II. Cui res vendita, &amp; non soluta fructificet.

Questio est de re determinatè vendita, sive tradita, sive non, sed cujus pretium non est solutum. Conveniunt omnes, fructus pendentes tempore venditionis pertinere ad emptorem, modo quo ipsa res empti pertinet; quia sunt pars rei emptæ, consequenter empti cum ipsa re.

Quantum verò ad fructus natos post venditionem, seu rei incrementum sequens, quidam contendunt deberi venditori, donec emptor solverit pretium, etiam si non sit in mora, puta, quia ei concessus est terminus ad solvendum: quod si res tradita, & emptor fructus percipiat, ipsum teneri eos pecunia compensare; quia revera sunt venditoris.

Id prob. ex L. *Curabit* 5. C. *De act. empti*. Ubi dicitur: *Curabit Præses Provincia compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percipit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere, quos & perceptorum fructuum ratio & minoris ætatis favor, licet nulla mora intercesserit, generavit.* Et L. *Julianus* 13. §. *Ex vendito ff. De Act. empti*. dicitur: *Nam, cum re emptor fruatur, æquissimum dicitur, non de usuris lucratoris, quæ sunt prohibita, sed de usuris compensatoris fructuum, quos venditor percipere debet.*

Hinc sententiæ affinis est Jurisprudentia Regni Galliæ; juxta quam, qui rem fructiferam emit non soluto pretio, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii interesse solvere, etiam si per accidens res nullus fructus ferat, ut si domus empti non locetur; cum hac tamen differentia, quod in venditione immobilium interesse pretii currat a die traditionis, in venditione verò mobilium currat dumtaxat a die petitionis juridicæ. Differt insuper hæc Jurisprudentia a Jure Cæsareo cit. quod, si emptor non sit in mora, puta, quia concessus est illi tempus ad solvendum, interesse non sit debitum, nisi de eo expressè fuerit conventum. Ita etiam censet extra Galliam Covarruvias Hispanus. His non obstantibus,

Dico: Probabilius, & æquitati naturali conformius videtur, fructus subsequentes, seu incrementa secuta rei determinatæ venditæ ad corpus, cuius periculum est penes emptorem, etiam ad ipsum pertinere, quamvis pretium non solverit. Ita Sylvester, Lessius, Sylvius, & communis. Prob. 1. Fructus naturaliter consequuntur substantiam rei fructiferæ, imò naturaliter insunt substantiæ & potentie rei frugiferæ; ergo, qui emit substantiam rei frugiferæ, emit consequenter jus & potentiam fructuum inde percipiendorum. Prob. 2. *Æquitas naturalis* postulat, & omnes Leges clamant (quasdam protulimus §. præcedenti) ut, qui rei damnum & periculum subit, fructus & incrementum percipiat, juxta vulgare axioma: *Qui sentit commodum, sentiat incommodum*; atqui ex dictis emptor in casu conclusionis subit damnum & periculum rei: ergo. Prob. 3. Perceptio fructuum per venditorem in casu conclusionis foret usuraria: ergo. Prob. Ant. Venditor non perciperet fructus ratione damni emergentis, aut lucris cessantis, quod supponimus abesse; alioquin posset deduci in pactum; non ratione periculi, quod totum rejicitur in emptorem: ergo ratione dilate solutionis, quod est usurarium.

Si dicas, venditorem percipere fructus ratione domini, quod retinet in rem non solutam; res enim fructificat domino. R. 1. Argumentum corrumpere respectu emptoris, cui fidem venditor habuit, & rem tradidit. Respectu verò illius, qui est in mora. R. 2. Rem fructificare domino, si & pereat domino; in casu autem non perit venditori, ut dictum est.

Ad Leges Cæsareas 1. oppono illis alias Leges, quibus decernitur ad eundem pertinere rei commodum & incommodum. 2. R. eas, qua parte admittunt usuras, esse Jure Canonico emendatas, & aliis Legibus etiam civilibus contrarias; ideoque revocandas esse ad æquitatem naturalem, ut nempè emptor cogaturolvere interesse, si vel sit in mora nociva venditoris, vel de eo sit ab initio conventum ratione damni emergentis, aut lucris cessantis, aut periculi amittendi pretii. Ideoque negamus, quod dicit Lex *Julianus*, æquum esse, ut emptor pro fructibus solvat usuras pretii, nisi venditor ex dilacione pretii æquale patiatur interesse, aut nisi suscipiat in se rei periculum. Nec est enim æqua conditio rei frugiferæ & pecuniæ; res frugifera, puta ager, ex natura sua profert fructus, qui in

estimationem veniunt constituto justo pretio; pecunia autem est de se sterilis.

Quod autem dicunt, has usuras esse compensatorias & non lucratorias, etiam falsum putamus. 1. Quia fructus, ut probavimus, sunt revera emptoris, idque concedunt Galli de emptore, qui non est in mora. Quia, si essent merè compensatorie fructuum, non debere semper eadem solvi, sed plus, vel minus pro quantitate fructuum.

Dixi: *Nisi sit aliter conventum*. Quia 1. si venditor ex dilacione solutionis patiatur damnum emergens, aut lucrum cessans, vel sit periculum amittendi pretii, aut molestiarum in eo obtinendo, potest horum ratione convenire de perceptione fructuum, aut parris eorum, vel de pensione pecuniaria solvenda usque ad solutionem pretii. Et quia aliquid horum ut plurimum contingit, quando emptor est in mora, ideò fortè Jurisprudentia Gallorum ex communiter accidentibus statuit tunc esse solvendum interesse pretii non soluti, & pro soluto non haberi per assureationem, aut fidem habitam emptori. 2. Possunt convenire contraheutes, ut venditor suscipiat periculum rei venditæ usque ad solutionem, & ratione illius percipiat fructus, sed tunc videtur venditio conditionata, facta nimirum sub conditione, ut rata non habeatur, nisi solvatur pretium.

Petes, cui debeatur res, successivè vendita duobus? R. 1. Si neutri sit tradita, debetur priori emptori, tunc quia qui prior est tempore, potior est jure. Reg. Juris 25. in 6. cum quia non potest tradi secundo emptori sine injuria primi emptoris: ergo ne fiat injuria, ipsi est tradenda. 2. Si posteriori emptori sit tradita, regulariter ipsius est. L. *Quaties* 15. C. *De rei vendit.* Ratio est; quia secundus emptor per traditionem acquirit jus in re, cum primus emptor vi contractus sine traditione habeat tantum jus ad rem, ut jam sæpè diximus ex Jure: in utroque autem casu venditor tenetur emptori frustrato de damno, & hic emptor habet actionem personalem in venditorem. Et hæc etiam locum habent in donationibus, locationibus, &c. quando res est donata, vel locata pluribus.

Dixi: *Regulariter*; quia excipiuntur quidam casus. 1. Excipitur, si venditio facta sit civitatibus, Ecclesiis, aut locis piis, quibus ex privilegio transferitur dominium solo contractu absque traditione L. *ult. C. De sacrosanctis Ecclesiis*.

2. Si prior emptor solvit pretium, & secundus emptor rem habens non solvit, nec assureavit, aut non sit ipsi fides adhibita; quia, ut diximus prius, venditor non intendit rei suæ dominium transferre, nisi soluto pretio, seu assureato, aut nisi pro eo fidem habuerit emptori.

3. Si secundus emptor fuerit conscipus prioris venditionis alteri factæ, & induxerit venditorem ad sibi vendendum, tenetur de damno erga primum emptorem: quod si non induxerit, plures docent primum emptorem posse quidem ex Jure civili rem evincere intra annum; sed, si non faciat, secundum emptorem in conscientia non teneri de damno. Nos autem cum pluribus aliis arbitramur, eum teneri etiam in conscientia; quia, etsi non induxerit, at tamen emendo scienter cooperatus est injustæ rei alienationi in damnum primum emptoris, consequenter ex eo tenetur ratione injustæ acceptionis. Quod si res prius vendita tradatur alteri etiam ignoranti, sed titulo gratuito, puta donatione, colligunt Jurisperiti ex L. *Penult. C. De revoc. his, que in fraudem*, primum emptorem posse etiam illam evincere intra annum: Donatarium tamen non teneri in conscientia spontè illam tradere.

Et hæc etiam locum habent in alienatione facta in fraudem creditorum ab eo, qui solvendis debitis est impar; scilicet, si fiat alienatio titulo siye oneroso, siye gratuito, puta venditione, aut donatione, scienti debitorum esse impotentem solvendo, tam emptor quam donatarius tenetur creditoribus de damno, quia illi scienter cooperatus est. Si verò fiat alienatio ignoranti titulo oneroso, emptor ad nihil tenetur, neque creditores possunt rescindere contractum. Si ignorantia titulo gratuito, res donata revocari potest a creditoribus, si extat, aut in quantum donatarius factus est ditior. L. *Quod autem* 6. §. 11. ff. *Que in fraudem* l. 42. tit. 8. Is autem nihil spontè restituere tenetur in conscientia; non ratione rei acceptæ, quia debitor rem tanquam verè suam validè donare potuit; non ratione injustæ acceptionis, quia ignorans accepit.

## ARTICULUS X.

De variis pactis, Contractui venditionis &amp; emptionis adjectis.

Nota, & sit regula generalis: Omne pactum emptioni onerosum, venditioni; emptioni adjectum, debet com-



compensari diminutione pretii, vel aliter; sicut, si sit onerosum venditori, debet compensari auctione pretii, quia est onus pretio estimabile seorsim a justo rei pretio. Pacta autem venditioni adjecta solita sunt: Pactum retrovendendi, aut redimendi in futurum, Contractus, quem Hispani vocant *Mohatra*, Pactum legis commissoriae, Pactum adjectionis in diem, & Retractus.

*Pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum.*

Contractus venditionis cum pacto redimendi, gallice, *Contra avec la faculté de Remore ou de Rachat*, est contractus, quo res venditur eo pacto, ut venditori intra certum tempus, vel quando ipsi placuerit, emptor teneatur rem revendere. Potest etiam fieri in gratiam emptoris, quando scilicet apponitur pactum, ut, dum emptor voluerit rem reddere, venditor teneatur refundere pretium. Quæstio est, utrum tales contractus sint liciti?

Dico 1. Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis in gratiam solius venditoris, est licitus. Ita communiter. Colligitur ex Scriptura, Lev. 25. ubi Deus vult, Judæis esse facultatem redimendi suas possessiones prius venditas. Prob. ex Jure civili L. 2. C. De factis inter empt. & vend. Item ex Jure Canonico approbante census redimibiles. Et ratio est, quia quisque est arbiter rei suæ, etque vendendæ modum, quem vult, imponere potest: modo servet justum pretium, nec aliquid faciat contra leges.

Porro, ut servet justum pretium, debet minoris vendi, quam venderetur secundum se secluso pacto; quia obligatio imposita emptori revendendi ad nutum venditoris est onus pretio estimabile compensandum diminutione pretii, ut dictum est. Quarta autem minui debeat pretium? Quidam dicunt ad 3. partem, quidam ad 4. alii judicio prudentum remittunt.

Hoc contractu sic justè inito, emptor non tenetur fructus rei emptæ computare in sortem, sed facit suos; quia verè acquirit rei dominium, quamvis revocabile, res autem fructificat domino.

Si petas, an res sic vendita possit eodem pretio a venditore redimi? R. Lessius, quod, si contractus eo pacto in eatur, ut post certum tempus liceat eum dissolvere, venditor possit eodem pretio redimere; quia tunc in redemptione non est novus contractus, sed prioris dissolutio; facta ex vi pacti appositi; quare non est necesse, ut venditor det tantum quanti res secundum se valet, cum tunc nullus novus contractus fiat. Si verò contractus eo pacto in eatur, ut quando venditor volet rem recuperare, eam emat novo contractu; tunc tenetur eam redimere pluris, quam vendiderit, hoc est, quanti res valet secundum se; quia res primo vendita cum pacto redemptionis in gratiam solius venditoris minoris valet, quam secundum se æstimetur propter gravamen impositum emptori. At, quando venditor eam redimit ab emptore, tantum valet, quantum secundum se æstimatur; quia nullum gravamen imponitur emptori, sique interest venditoris & emptoris quomodo contrahant.

Perceptor Journel hic a. 7. sect. 1. puneto 1. damnat primum modum contrahendi, & secundum dumtaxat admittit. At forte non satis illum expendit: etiam hunc puto esse passim in usu, saltem in his partibus. Pontas e contra, verbo *Vente* cas. 46. secundum reprobat ut usurarium, nixus auctoritate S. Raymundi l. 2. Summae tit. 7. §. 4. & Canone *Ilo vos* libr. 3. tit. 21. Verum neque S. Raymundus, neque Canon laudatus asserunt hunc contractum esse usurarium, sed dumtaxat præsumi usurarium, quia loquuntur de emptore, qui ut mentem usurariam pallio emptionis occultet, emit vilis, ut vendat carius, in quo casu pactum retrovendendi videtur potius appositum in gratiam emptoris, quam venditoris. De tali autem pacto.

Dico 2. Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis in gratiam solius emptoris, hoc est, cum pacto ut emptor pro nutu possit in posterum rem emptam reddere, & venditor teneatur pretium refundere, metaphysicè loquendo, non videtur injustus, at est maximè periculosus, nec in praxi admittendus. Ratio 1. partis est; quia in rigore loquendo videtur vera emptio, qua emptor acquirit rei dominium, & ejus subit periculum, licet onere imposito venditori illam redimendi: sicut venditor verè vendit, licet imponat emptori onus revendendi, ut ante dictum est. Propter autem hoc onus impositum venditori res debet emi pluris, quam absolute secundum se valet. Ratio 2. partis; quia hujusmodi contractus maximè favet usurariis, & eo faciliè palliantur usuræ: quod contingit, quando emptor ex tali emptione intendit lucrari; ut si cogat venditorem redimere majori pretio, quam ipse emit, aut eodem quidem pretio, sed interim percipiendo fructus rei: Sic v. gr. dum emis a Titio domum mille aureis, ea le-

ge ut infra 10. annos Titius a te redimat eodem pretio, & tu interim percipias annuo pretium locationis, quid est aliud, quam mutare Titio mille aureos, & pretia locationum insartar auctarii supra sortem accipere?

*Contractus Mohatra.*

Contractus, dictus ab Hispanis *Mohatra*, seu *barata*, ab Italis *Stocho*, seu *Stoccola*, sic inquit: Petrus, indigens 100. aureis, petit illos mutuo a Joanne mercatore; is, quia lucrari cupit, denegat mutuum, sed offert Petro merces, puta panum credito vendendum summo pretio, puta 110. aureis, cum pacto ut Petrus emptor ipsi Joanni venditori revendat præsentem pecunia infimo, vel medio pretio v. gr. 100. aureis, quibus de facto indiget Petrus.

Dico: Talis contractus est illicitus. Prob. ex hac propositione damnata ab Imoc. XI. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractus retrovenditionis prævit inito cum intentione lucræ.* Est 40.

Ratio est; quia talis contractus venditionis cum pacto retrovendendi eidem personæ viliori pretio transit in mutuum usurarium: ergo. Prob. ant. Talis est contractus, quem intendunt contrahentes; est enim contractus plurium in idem consensus, ut dictum est supra; atqui contrahentes in casu intendunt saltem implicite mutuum usurarium sub pallio venditionis: ergo. Prob. ant. Quid enim intendit emens? Non merces, is enim non indiget, sed pecunia. Quid intendit vendens? Recipere infra annum summam nunc datam cum auctario, ita ut perinde sit, ac si nunc mutuares 100. ut infra annum recipias 110. Neque dicas, quod non intendant mutuum, quin potius excludunt, cum idè contractum venditionis inane? ficta est enim illa venditio & reale mutuum, ut patet ex verà illorum intentione.

Quod si contractus fieret absque pacto retrovendendi vilis, sed Joannes mercator simpliciter venderet merces suas Petro summo pretio, & Petrus liber esset eas revendere cui vellet, & quo pretio posset, sed spontè eas offerat Joanni, hic posset absque injuria redimere viliori pretio, sicut posset quisvis alter; quia, quod prius vendiderit, non est factus peioris conditionis, & sicut licitè ipsi vendere summo pretio, ita licet ipsi emere infimo. Neque dici potest, quod hæc duæ venditiones coalescant in mutuum; quia, dum prima fiebat, non erat intentio, aut obligatio secundæ.

*Pactum Legis commissoriae.*

EST, dum res eo pacto venditur, ut, si emptor intra certum tempus non solvat, res sit inempta. Hoc pactum approbat in Jure toto fernè tit. ff. & C. De Leg. Commis. Neque aliquid injuri continere videtur. Potest autem fieri dupliciter. 1. Verbis directis expressè significantibus; quod, si statuto tempore non sit solutum pretium, res ipso facto sit inempta, seu contractus sit nullus & irritus. 2. Verbis indirectis significantibus dumtaxat contractum esse rescindendum, rem ab emptore esse auferendam, aut quid simile.

Si 1. modo fiat, & non solvat emptor tempore fixo, fructus a tempore inito contractus pertinent ad venditorem; quia talis venditio fuit conditionata, ideoque rei dominium & ejus fructus suspensi usque ad conditionis purificationem; quia tamen conditio est apposta in favorem venditoris, potest illi renuntiare, & stare contractui. Si 2. modo fiat, fructus intermedii sunt emptoris; quia venditio fuit absoluta quantum ad translationem domini, licet revocabilis si non impleatur conditio. Ubi tamen agitur de foro conscientie, magis est attendendum ad intentionem contrahentium, quam ad verba contractus, quæ sæpè sunt ambigua.

*Pactum adjectionis in diem.*

EST, cum venditio fit eo pacto, ut si alius intra certum tempus offerat meliorem conditionem, res sit inempta. Approbat in Jure. L. 1. ff. De in diem adject. Nec injustum videtur, modò tamen minuat aliquid de pretio: potest autem fieri dupliciter, sicut dictum est de pacto Legis commissoriae, & eodem modo resolvendum est de fructibus intermediis.

*Retractus.*

Duplex est, Gentilis, gallice *Retrait lignager*; & Feudalis, *Retrait feudal*. Retractus Gentilis est jus

jus concessum consanguineo venditoris rescindendi intra annum, & diem contractum venditionis, seu revocandi ad se rem immobilem alicui extraneo, aut remotiori consanguineo venditam, oblato emptori eodem pretio, quo fuit emptor. Hoc jus concessum est, ne avitæ possessiones ad alienas manus transirent, sed in proximiori posteritate permanerent. Fuit in usu apud Judæos Lev. 25. & Auth. 4. Invaluerat etiam apud Rom. sed ab Imperatoribus Valentino, & Theodosio fuit abrogatum. L. penult. C. De contrah. empt. In variis Provinciis, & Regnis consuetudine redintegratum est. Et idè peccant contra Justitiam, & ad restitutionem tenentur, qui fraude, vel dolo, puta fictis permutationibus, aut donationibus, quæ retractui non subjacent in illis locis, hoc jus impediri conantur.

Retractus Feudalis est, qui competit dominio directo, seu feudali in omnia bona ab ipso moventia, & dependentia; excluditque consanguineos retrahere volentes, quia fundatur in proprietate, seu dominio, quod non processit in consanguineis, ut ait Cabassutius. Attamen contrarium obtinere consuetudinem in Gallia, ubi Retractus Gentilium præfertur Feudali, docent Pontas, & Perfector Journel.

Differunt autem hi contractus, 1. Quòd dominus feudalis possit retrahere in favorem amici, imò cedere, & vendere jus suum, cui voluerit. Consanguineus retractui non potest cedere jus suum alteri, neque in favorem alterius, seu ut ipse postea vendat majori pretio, retrahere, sed sibi soli; & idè jurare compellitur vel sibi retinere, ut notat Cabassutius, Theor. & prax. l. 6. c. 9. n. 11. post plures Jurisconsultos, & post ipsum Pontas, & Perfector Journel. Hoc tamen non impedit, ut arbitror, quin consanguineus retrahens verò animo rem sibi retinendi, possit postea mutata voluntate, & justa de causa occurrente eam vendere, aut donare. Altera differentia est, quod in variis Provinciis retractus feudalis debeat fieri intra quadraginta dies; gentilitius verò intra annum & diem; quod tempus currit contra absentes, & minores, non minus, quam contra præsentés, & majores, absque spe restitutionis in integrum.

## ARTICULUS XI.

### De Monopoliis.

Monopolium est vox graeca, quasi diceret *Solus venditio*. Generatim sumpta, proit de eo disputant Theologi, est communis machinatio, seu industria, qua unus, vel plures per modum unius efficiunt, ut vel ipsi soli vendant certum genus mercium, vel certo pretio. Undè est duplex Monopolium. Primum, cum efficitur, ut unus, vel pauci, aliis exclusis, vendant certum genus mercium. Et hoc tripliciter. 1. Ex privilegio Principis. 2. Coëmendo omnes merces ejusdem generis. 3. Impediendo, ne merces ejusdem generis advehantur. Secundum, dum plures conspirant inter se non vendere, aut non emere nisi certo pretio. Quæstio est, utrum hujusmodi Monopola sint licita. Pro quo

Dico 1. Privilegium, a Principe, vel Republica concessum alicui, ut solus certum genus mercium vendat, est licitum, si iustis causis nitatur: puta, quia Princeps indiget propter bonum publicum pecuniis, & idè vendit tale privilegium; vel quia sunt graves expensæ faciendæ, aut gravis labor, magnaque pericula subeunda, quæ nemo facere, aut subire vellet, nisi vendendi privilegio aliis exclusis gauderet, quo expensæ, aut pericula redimat. Exemplum solet poni in Bibliopoliis, qui, cum libris imprimendis magnos sumptus impendunt, ut eos redimant, obtinent privilegium, ne quis alter eosdem libros distrahatur, aut recudat. Porro, si tale privilegium concedatur in rebus vitæ politicæ necessariis, tenentur Principes, seu Respublicæ taxare pretium, ne privilegiatorum cupiditate ultra modum augeatur, & idè gravetur communitas. Quòd si hujusmodi privilegium iustis rationibus non nitatur, est injustum, ut patet ex dicendis circa alia Monopola, & tam privilegiati, quam concedentes privilegium tenentur ad restitutionem: 1. Privilegiati, deinde concedentes, non solum emptoribus, qui merces meliori pretio emerent, sed & aliis mercatoribus, qui iniquè impediuntur a talibus mercibus vendendis.

Dico 2. Quando unus, vel pauci coëmunt omnes, vel fernè omnes merces ejusdem generis, v. gr. omnia frumenta, ut inducant raritatem, & aucto pretio vendant pro libitu, graviter peccant contra charitatem proximi, & bonum commune, ut patet. Hos S. Raymundus dicit *Tanquam nefandas belluas esse detestandos*: raptoribus accenset Catech. Romanus; atqui in eos acriter invehunt

SS. Patres, Ambrosius, Chrysost. Hieron. & alii.

Item eos peccare contra Justitiam commutativam, & teneri ad restitutionem, probabilis sustinemus cum Sylvio hic a. 1. post Gabrièlem, Medinam, Azorium, Malderum, quibus ex recentioribus subscribit Perfector Journel, Daëlman, & Henno (si tamen notum sit communiter, magnam copiam mercium apud illos detineri) contra Molinam, Lessium, & quosdam alios, non improbabiliè oppositum sentientes.

Ratio est; quia, quamvis præfati non peccaverint contra Justitiam emendo (quia ut suppono emerunt pretio corrente) neque retinendo suas merces, quia non tenentur ex Justitia vendere, se possunt absque cujusque strictè injuria eas destruere, aut in flumen projicere, cum habeant plenum harum dominium, peccant tamen contra Justitiam, quatenus non vendunt justo pretio; justum enim pretium in hoc casu non est illud, quod hi constituunt auctum, sed est illud, quo venderentur merces, si apud plures prostant. Prob. Justum rei pretium est id, quod communi æstimatione taxatur, attenda quantitate mercium communiter cognita, sive sint plures vendentes, sive non (non enim præcisè ex paucitate venditorum crescit pretium, sed ex ipsa raritate mercium; undè, est forent pauci venditores, sed admodum copiosæ merces, non idèo pluris, aut saltè multò pluris æstimantur); atqui eadem est mercium quantitas in uno, aut paucis, quam si foret in plures divisa, & id communiter scitur, ut suppono: ergo.

Si opponas exemplum Patriarchæ Joseph. R. Ipsum copiam frumentorum non congregasse ex intentione lucræ, & inducendæ caritatis, sed providendi bono, & necessitati communi: neque ex ejus emptione, & retentione, quæ erant superfluum tempore fertilitatis, inductam fuisse raritatem, & caritatem, sed sterilitate sequentium annorum, ita ut, si, quæ reservaverat, distributa fuissent in plures, nihilominus semper fuisset raritas, & auctum pretium, & idè potuit absque injuria vendere reservata aucto pretio.

Dixi: *Si tamen notum sit, &c.* ad adjiciendum putavi; quia; si communiter ignotum foret magnam copiam servari apud monopolas, sed uni tantum, vel paucis notum, hæc copia non concurreret ad taxationem justæ pretii, sed se haberet quasi non esset; quia taxatur justum pretium a communi æstimatione; communis æstimatio nititur communi cognitione: sique justum rei pretium censeretur tunc, quod, abstrahendo ab illa copia, curreret: sicut diximus supra in communi sententia, quòd, si quis secreto sciret advenisse magnam copiam mercium, & eam latere in navibus, aut officinis secretis, posse suas vendere corrente pretio. Quapropter in tali casu monopolas, quamvis aliunde graviter culpandos, accusare injustitiam non auderem, nisi probetur eos emendo, vel retinendo violasse justitiam, quod non puto verum.

Petes, utrum, qui non sunt participes monopolii possint vendere merces suas pretio aucto, & statuto per monopolas? R. Probabilis negativè; quia est injustum.

Dices: si pretium rerum foret auctum per latrocinia, aut injustam direptionem hostium, liceret aliis, qui hinc in justitiam non sunt cooperati, vendere pretio aucto: ergo similiter. R. N. Conseq. quia in 1. casu, licet pretium sit auctum per injustitiam, supposita tamen rerum destructione, & raritate, est justum. At in nostro casu existit eadem rerum copia, propter quam fit quòd pretium auctum sit, & remaneat injustum.

Cæterum, & his, quæ dixi, non obstantibus, non sunt culpandi mercatores, qui, honestæ negotiationis ergo, emunt merces, v. gr. frumenta, tempore, quo vilioris amantur, ut ea servant, & vendant tempore, quo solent pluris vendi, modò sua emptione, & retentione non inducant raritatem, & caritatem.

Dico 3. Qui vi, vel fraude impedit, ne aliunde advehantur merces, ut ipse solus, & carius vendat suam, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem; quia & alii mercatores habent jus, ne modis injustis impediatur à simili mercatura, & lucro, & cives, ne his pariter modis cogantur emere pluris, quod possent absque vi, vel fraude emere minoris. Si autem id fiat absque vi, vel fraude, peccabit tantum contra charitatem, & utilitatem communem. Imò posset contingere, quòd nullo modo peccabit, qui, seclusa vi, vel fraude impediret advectionem mercium in patriam, non ut ipse solus, & carius vendat suas, sed ex aliqua justa causa, puta intuitu boni communis, cui quandoquæ expedit, quòd non tam vilis pretio res vendantur, ne venditores fiant impares oneribus publicis fe-



rendis, ut accidit sæpe respectu agrorum, quando frumenta vilioris venduntur; & ideo superiores quandoque justè prohibent, ne extranei merces suas advehant, ut subditi vendant suas, & ne pecunie extra Provinciam sportentur.

Dico 4. Qui inter se conveniunt non vendere nisi pretio supra summum, aut non emere nisi infra infimum vulgare, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem; primo, qui vendunt, aut emant, deinde in eorum defectum alii, qui monopolio concurrerunt. Est communis. Ratio est; quia hoc pretium, quod illi constituunt emendo, vel vendendo, est injustum: etenim justum rerum pretium non ex quorundam cupiditate pendet, sed statuitur vel auctoritate Reipublice, vel communi æstimatione bona fide, & sine conspiratione procedente, atenta rerum copia, vel inopia, & aliis circumstantiis: ergo.

Qui verò, seclusa vi, vel fraude conveniunt non vendere nisi summo pretio vulgari, aut non emere nisi infimo intra limites justè pretii, peccant contra charitatem proximi, qui indebitè gravatur, quod debeat semper emere summo, vel vendere infimo; item contra bonum publicum, quod exigit aliquam pretii latitudinem, qua modò venditoribus, modò emptoribus beneficiat: sed probabilius non peccant contra justitiam. Ita Bannes, Sylvius, Lessius, Steyartius, Daclman, & communiter contra Peritorem Tournell, Henno, & alios: forè tamèn excipiendus foret casus substationum. Ratio est; quia hujusmodi pretium est justum, & possunt mercatores absque læsione justitiæ nolle vendere nisi summo, aut emere nisi infimo.

Ast iniqui defensores oppositæ sententiæ: non ideo isti monopolæ peccant contra justitiam, quia vendunt, aut emunt pretio injusto, sed quia violant jus eminentium, aut vendentium; cives enim habent jus, ne cogantur emere summo pretio, aut vendere infimo; atqui per monopolium coguntur emere summo, aut vendere infimo; & ideo, iniquiunt, non tenentur restituere propter excessum, aut defectum pretii, sed propter ablatam civibus libertatem emendi infra summum, aut vendendi supra infimum: hæc porò restitutio fieri debet arbitrio prudentis viri secundum spem majorem, vel minorem, quam habebant, secluso monopolio, emendi viliori pretio, aut vendendi majori. Hæc sententia est probabilis. Sed contra D. majorem: cives habent jus, ne cogantur vi, vel fraude emere summo, aut vendere infimo, C. ne cogantur ex mera voluntate vendentium, aut eminentium, N. vendens enim potest absquè injuria nolle vendere suas merces, nisi velis illi dare summum, & emens emere suas, nisi vendas infimo, nemo id negat: non ergo habet jus, scilicet strictum, ne hoc modo cogaris emere summo, aut vendere infimo; alioquin daretur bellum justum ex utraque parte; sed bene, ne vi, vel fraude cogaris.

Subsumunt; atqui intervenit hic vis moralis: ergo. Prob. aut. quia monopolæ contractu inter se inito, & quandoque juramento firmato, obligantur vendere, aut emere certo pretio. Ex hac autem obligatione sequitur in Civibus obligatio emendi, vel vendendi pretio per monopolas taxato, quæ obligatio est vis quedam moralis. R. Monopolas contractu inter se inito, & juramento firmato non multò magis obligari, statuto inter se pretio vendere, aut emere, quam si singuli seorsim apud se sub juramento statuerent non vendere, aut emere nisi tali pretio; atqui, si omissio monopolio apud se seorsim statuerent sub juramento non vendere, aut emere nisi tali pretio, non ideo diceretur vim inferri civibus: ergo nec si idem inter se statuant. Et hoc ideo, quia is non censetur vim inferre alteri, proit vis opponitur justitiæ, de qua hic loquimur, qui utitur jure suo, & alterius jus non violat. Porro monopolæ habet jus, hoc est, potest absquè injuria nolle vendere nisi summo, & hac voluntate cogere eminentem emere summo, qui proinde non habet jus, ne sic cogatur: ergo, dum monopolæ hac sua voluntate sive per contractum, sive per juramentum firmata, cogit eminentem emere summo, utitur jure suo, & eminentis jus scilicet strictum non violat. Adde, quod neque ex contractu, neque juramento privato nulla oriatur vera obligatio in monopolis; quia, cum sint de re illicita contra charitatem, & bonum commune, non obligant, consequenter nulla est obligatio in eminentibus emendi summo, nisi ea, quæ oritur ex mera voluntate vendentium, nolentium aliter vendere; in quo nulla est injuria, ut dictum est.

Restat tamen scrupulus circa hubstationes; & ideo dixi hunc casum forè excipiendum: quia in hoc foro extraordinario justum rerum pretium taxatur per ipsos licitantes independenter a communi æstimatione, & a pretio, quod alibi haberent, ut supra diximus: quando ergo

licitantes conveniunt inter se non licitari ultra certum pretium, difficile est dignoscere, an istud pretium contineatur intra limites justè pretii, cum vix dignosci possit quousque secluso monopolio auctum fuisset pretium per licitationes.

Monopolis culpandis annumerati sunt artifices, qui conveniunt inter se non perficere opus ab alio inceptum, aut non locare operas suas, nisi certo pretio. Item, qui fictas stercilitates promulgant, aut naves mercibus onustas submersas mentiuntur, ut suas majori pretio vendant.

ARTICULUS XII.

Varia Questionculæ circa venditionem, & emptiorem breviter resolvuntur.

Petes 1. utrum res, quam quis aliena pecunia emit, sit ementis, an illius, cujus est pecunia? R. Si nomine illius, cujus est pecunia, emit, est domini pecunie; si proprio nomine emit, est ementis, ut qui emit pecunia apud se deposita. L. 6. C. De rei vendit. Excipiunt Auctores, quæ emantur pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut militis; horum enim sunt res emptæ ex Jure.

Petes 2. utrum is, cui commissum est aliquid vendere, aut emere certo pretio, & vendit supra, aut emit infra taxatum pretium, possit sibi retinere id, quod est supra, vel infra? R. Regularitèr negative. Ita communiter: quia vel est proxeneta mercede conductus, & is debet esse sua mercede contentus; vel est famulus, & is tenetur ad obsequia ratione stipendii annui; vel gratis suscepit commissionem ut amicus, & is renuntiat mercedi. Neque refert, quod dominus pretium determinaverit: id enim censetur fecisse, ne vel infra venderet, vel supra emeret, non verò ne supra venderet, aut infra emeret, si posset.

Dixi: regularitèr; quia 1. si dominus explicite, vel implicite concedat proxeneta, quod superat pretium determinatum, potest proxeneta retinere: explicite, ut si dicat dominus: tanti vende, quod erit ultra, tum esto: implicite, si proxeneta neque sit famulus, neque amicus, qui præsumitur servare gratis, neque dominus illum stipendium assignaret, censetur pro stipendio assignare quod excedit pretium taxatum, saltem pro rata laboris. Ita Sylvius, & communiter. Tutius tamèn foret petere pretium, ne illicitis compensationibus oculis latior janua aperitur. 2. Si proxeneta sua industria, alias non debita, rem melioravit, aut si majorem diligentiam, majoremve laborem adhibuit, quam tenebatur adhibere, ut res plus constituto pretio venderetur, & ideo plus sit vendita, intra tamèn limites justè pretii, ex isto excedente, potest retinere pro rata industriæ, aut laboris, alias indebitè.

Petes 3. utrum proxeneta non possit sibi rem emere statuto pretio, atque eam ut suam vendere, & si vendat pluris, illud plus sibi retinere? R. posse sub duplici conditione. 1. Est, ut adhibita morali diligentia non inveniat, qui plus offerat, qui præsumitur, hanc esse domini voluntatem, ut non minoris vendat; sed plus si possit, nisi aliter exprimat. 2. Ut rem sibi non fiet, sed verè emit, ita ut subeat ejus periculum, & si forè tantum vendat, reddat nihilominus domino determinatum pretium. His positis conditionibus, non nocet domino, cui dat pretium, quod statuit; nec majus invenire potuit, neque emptoribus, quibus, ut suppono, vendit justo pretio, etsi forè summo.

Petes 4. Utrum emens ex commissione possit sibi retinere ea, quæ vendens solo ejus intuitu gratis donat? sit casus: Sartor emit ex commissione pannum pro veste, aut accessoria ad vestem, & quia solet ejusdem mercatoris officinam frequentare, mercator in grati animi significationem, seu ut illum sibi magis devinciat, confert ipsi quedam munuscula, aut partem pretii, quò venderet aliis, ipsi remittit. Potestne Sartor hæc munuscula sibi retinere, aut partem pretii sibi remissam computare committenti? R. Quod si reverà mercator propter ista munuscula non vendat carius, aut si cuicumque alteri non remisisset partem pretii, sed majori pretio vendidisset, possit Sartor aut hæc munuscula sibi retinere, aut partem pretii remissam computare committenti; quia his suppositis nemini facit injuriam. Verùm sæpè mendacitèr sic loquuntur mercatores, ut alliciant emptores, dum nihilominus munera data majori pretio compensant, aut parati sunt aequali pretio vendere aliis, si se offerret occasio. Et ideo, licet factum forè non damnare, faciendum tamèn agrè consulere.

Petes 5. Utrum aurifici possint emere artefacta aureæ, vel argenteæ, æstimando tantum pondus materie, & non artificium, quamvis forè nullo, aut modice labore possint

sint adhuc vendi? R. Pontas verbo Achat casu ultimo, & plures alii censent posse; quia in similibus sola materia communiter æstimatur & non artificium: potest autem res emi secundum æstimationem, quam communiter habet. Excipit tamèn, nisi artificium esset longè majoris valoris, quàm materia; tunc enim deberet vendi secundum æstimationem artificii factam ab intelligentibus.

ARTICULUS XIII.

Utrum Negotiatio sit licita?

Nota 1. Negotium dicitur, quasi negotio omni c. Quoniam d. 88. Undè negotiari generalitèr est aliquid serio operari, & quia in negotiatione plus est occupationis, quàm in aliis negotiis, ideo negotiari est exercere mercatoriam. Nota 2. (Hic a. 4. o.) Non omnem commutationem sive rerum cum rebus, sive rerum cum pecuniis (quæ proprie est venditio & emptio, de quibus huc usque) esse negotiationem; est enim una commutatio quasi naturalis & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum & denariorum propter necessariam & usum vitæ, & hæc proprie non pertinet ad negotiatores, sed magis ad economos, vel politicos, qui habent providere domui, vel communitati de necessariis ad vitam; & talis commutatio est omnino honesta & licita. Alia est commutatio sive rerum cum pecuniis, sive rerum cum rebus, non propter usum & necessitatem vitæ, sed propter lucrum querendum; & hæc, si fiat re immutata, est proprie dicta negotiatio; si re mutata, est improprie dicta negotiatio. Igitur

Definitur negotiatio: (Ibid. ad 1.) Actio, qua quis rem comparat eo animo, ut eam integram & immutatam cum lucro vendat, vel permutet. Ita c. Efficentis 11. dist. 88. Explicatur. Dicitur 1. Actio, qua quis rem comparat, sive sit emptio, sive permutatio. Negotiatio enim non solum emptioibus, aut venditionibus, sed simplicibus permutationibus sæpe exercetur, præsertim in Insulis & Regionibus remotioribus. Dicitur 2. (Ibid. ad 2.) Eo animo, ut cum lucro vendat; quia finis negotiationis est lucrum, & ideo ut sit proprie negotiatio, debet res comparari cum & ex intentione ex ea lucrandi, ita ut lucrum principalitèr intendatur. Undè, si quis emat aliqua animo utendi, & postea mutata voluntate vendat etiam cum lucro, non est negotiatio! Similitèr, si emat necessariam familiæ, licet emendo intendat, quæ erunt superflua, vendere cum lucro, non videtur proprie dicta negotiatio; quia, quamvis emendo intendat aliquo modo lucrum, non tamèn primariò & principalitèr, sed providere familiæ. Dicitur 3. (Ad 1.) Rem integram & immutatam; quia, inquit S. Doctor, si rem in melius mutatam cavius vendat, videtur præmium sui laboris accipere. Undè canon Efficentis cit. dicit: Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ut faciant artifices, ille non est negotiator. Item, qui emptio semine colit agros proprios, & eorum fructus vendit, non est proprie negotiator; neque qui boves, aut porcos macros emit, & impingnatos vendit, quia, licet ista animalia non sint immutata substantialitèr, sunt tamèn immutata accidentalitèr, & rem immutatam, quæ simul requirantur ad negotiationem proprie dictam, probabís multa habere speciem negotiationis, & non veritatem. Itaque de negotiatione proprie dicta queritur, utrum sit licita? Pro quo

Dico 1. (Ib. o.) Negotiatio secundùm se habet quamdam speciem turpitudinis, potest tamèn cohonestari & fieri licita. Ratio 1. partis est; (Ibid.) quia negotiatio non importat de sui ratione finem honestum, aut necessarium; habet enim pro fine lucrum: lucrum autem de se non est honestum, aut necessarium. ergo. Ratio 2. partis: (Ib.) quia lucrum, quod est finis negotiationis, licet in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamèn importat vitiosum, vel virtuti contrarium. Undè nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel honestum, ex quo negotiatio cohonestetur, & licita reddatur: sicut, cum aliquis lucrum moderatum ordinat ad domus suæ substationem, vel ad subveniendum indigentibus; vel etiam cum quis negotiationis intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessarie ad vitam Patriæ desint, & lucrum expeit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

Confirmatur: Negotiatio non est per se & intrinsecè mala: turpitudine enim, quæ illi inest, non est positiva, sed negativa tantum, nempe carentia finis honesti, aut

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

necessarii, ut patet ex dictis: ergo, si honestus, aut necessarius finis illi præligatur, turpitude ejus abstergitur, & fit bona. Fateor equidèm, fraudes & mendacia sæpissimè committi in negotiatione; at hæc vitia sunt negotiatorum, non ipsius negotiationis, cum sine illis possit exerceri. Hinc Canon Fornicari dist. 88. cit. dicitur: Fornicari nunquam licet, negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet.

Dices 1. S. Chrysostomus, seu quivis alius Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 33. in cap. 21. Matth. dicit: Nullus Christianus debet esse mercator.... quicumque rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucratur, ille est mercator, qui de Templo Dei ejicitur. Refertur C. Efficentis cit. R. Hæc verba (Ibid. ad 1.) intelligenda esse de negotiatione, secundùm quod lucrum tamquam ultimum finem intendit. Censetur autèm sic intendi, quando negotiator magis diligit lucrum, quàm Deum, paratus per fraudes & mendacia Dei legem transgredi potius, quàm lucro privari. Et hunc esse sensum legitimum, colligitur ex eo, quod Auctor istius Operis interpretetur locum Mathæi, ubi Christus negotiatores ejecit de Templo; hos autèm ideo ejecit, non solum quia vendebant in Templo, sed quia vendendo intenti erant fraudibus & furis: & ideo subiungit Christus: Vos autèm fecistis (Templum scilicet) speluncam latronum.

Dices 2. Ps. 70. ubi nos legimus, Quoniam non cognovi litterarum, 70. Interpretes & antiqui Patres legunt Quoniam non cognovi negotiationes, in verbo in potentias Domini. Et Eccl. 26. dicitur: Dux specis difficiles & periculosa mihi apparuerunt: Difficile exiit negotians a negligentia (salutis scilicet) & non justificabitur casus a peccatis laborum: ergo. Respondet Sylvius, hic nihil proferti, quo evincatur lectionem Vulgatæ non esse retinendam, ejusque duplicem sensum adfert 1. Quoniam non cognovi litterarum, id est, sapientiam & prudentiam seculi, nec humanis consiliis confido, potentie divinæ penitus inherendo, & sic memorabor justitiæ tuæ solius. 2. Quoniam non cognovi litterarum, id est, humanarum litterarum scientiam non sum adeptus, veniam ad potentias Dei recolendas, mihi que satis erit meditari opera potentie divinæ, semotis rationibus humanis. Sed esto esse admittendam lectionem 70. Interpretum: Sensus est: Quoniam non cognovi negotiationes, id est, negotia hujus sæculi, quæ mentem a divinis avocant, celebrando mirabili divinæ potentie. Vel ideo Propheta dicit se introitum in potentias Domini, quia non cognovit negotiationes; non quod negotiatio sit secundùm se mala, sed quia implicat multis curis, quæ a Deo & salute abstrahunt, & est obnoxia variis peccandi periculis, & consequenter variis salutis impedimentis. Hoc ultimo sensu intellige locum Eccl.ii.

Dices 3. & subsumes; atqui non licet se peccandi periculo exponere: ergo. R. cum Sylvio D. subsumptum non licet se peccandi periculo exponere, sit periculum sit ex natura rei & ita imminens, ut probabilis sit, quod in tali actu sis peccaturus; C. Subsumptum. Si periculum non sit ex natura rei, vel non sit ita imminens, quin probabilis speres te auxiliante Deo quòd non sis in hoc actu peccaturus, quamvis certus non sis, quòd in omnibus ejusdem rationis actibus non sis peccaturus, quale est periculum negotiationum, N. Subsumptum: alioquin non solæ negotiationes, sed & omnes fermè artes, pleraque officia exerceri non possint, cum nulla ars & vix ullum sit officium, quod suo periculo careat. Non diffeer tamèn, in negotiationibus esse plura & urgentiora pericula, ideoque attentius sibi invigilent mercatores.

Dices 4. Contra justitiam est, quòd aliquis rem carius vendat, aut vilius emit, quàm valeat; atqui ille, qui negotiando rem carius vendit, quàm emit, necesse est, quòd vel vilius emerit, vel carius vendat, quàm valeat: ergo. R. N. min. (Ib. ad 2.) Multi sunt enim tituli, quibus potest quis justè vendere rem carius quàm emerit, absquè eo quòd emerit vilius, aut carius vendat, quàm valeat. 1. Quia forè rem melioravit, seu sumptus, labores, vel pericula in ea transferenda, aut aliter subit. Quia pretium potest esse mutatum secundùm diversitatem loci & temporis. 3. Quia, cum sint gradus pretii justè potest emere infimo, & vendere medio, vel supremo.

Dico 2. Negotiatio est Jure Canonico interdicta Clericis. (Ib. ad 3.) Prob. Can. Decretis dist. 88. Melchias Papa dicit: Decretis S. Synodus, nullum deinceps Clericum, aut possessiones conducere, aut negotia sæcularibus se miscere, nisi propter curam Pupillarum & Orphanorum, ac Viduarum; aut si forè Episcopus Civitatis Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. Hic nulla pena

Im-



imponitur transgressoribus. Can. *Consequens*. 2. Ibid. jubentur Clerici ab inhonestis & turpibus lucris, ac ab omni negotiatione abstinere sub poena suspensionis. Et Can. *Episcopus*. 3. ibid. dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam seculares curas assumat: sin aliter, dejectur. C. finali De vit. & honest. Cleric.* l. 3. tit. 1. Honorius Papa mandat, quatenus, si Clerici negotiatores tertio moniti a negotiationibus non resipuerint, sed prætermisiss Divinis Officialibus negotiationibus insisterint, amittant privilegium Clericale. Et c. *Secundum* 6. Ne Clerici, vel Monachi l. 3. tit. 5. Alex. III. dicit: *Secundum instituta Prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur & ne Monachi a Clericis, vel Laicis suo nomine firmas (Villas conductas) habeant, neque Laici Ecclesias ad firmam habeant.* Clementina 1. *De vit. & honest. Cleric.* l. 3. tit. 1. Clemens V. in Concilio Viennensi mandat Episcopis, *Ut adversus Clericos, negotiationibus, vel conerctis secularibus, vel officiis non convenientibus Clericali proposito publicè insistentes, vel arma portantes, sic Canonica servare student instituta, quod illi ab excessibus compescantur hujusmodi, & ipsi de damnavili circa hæc negligentia nequeant reprehendi.* Neque dicas, hæc Jura esse antiquata, & amplius non obligare; etenim ea confirmat & innovat Concil. Trid. sess. 22. c. 1. *De Ref.* his verbis: *Statuit Synodus, ut quæ alias a summis Pontificibus & a sacris Conciliis de Clericorum vita & honestate... nec de secularibus negotiis fugiendis, copiose, salubriter sancita sunt, eadem in posterum itidem penitus, vel majoribus arbitrio Ordinarum imponendis observentur.*

Ex his habes, non solum negotiationes proprie dictas esse clericis prohibitas, sed generatim quascunque curas seculares, quæ, ut interpretantur Canonistæ, & innuntur Juribus cit. directè & principalitè turpis lucri cupiditate assumuntur, ut officia secularia & artes mechanicæ, quæ quæstus gratia exercentur. Probabiliter etiam nobis videtur cum Sylvio & aliis contra Perfectorem Tournelli & alios, non solum Clericos in sacris Ordinibus constitutos, sed etiam Beneficiatos simplices, aut simpliciter tonsuratos Clericalem habitum deferentes, his legibus adstringi, quia Jura indistinctè & generalitè loquuntur de Clericis, in Clericali utique statu viventibus, quales sunt præfata. Adde, quod eadem rationes militent pro ipsis, ac pro aliis, ut mox patebit.

Rationes itaque hujusmodi prohibitionum sunt 1. Quia Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ secundum se sunt mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali; quod in negotiatione contingit, tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia. 2. Quia negotio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens a spiritualibus retrahit. Undè Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Sed petes, utrum istæ leges gravitè obligent? R. Verisimilius obligare secundum se sub mortali. Quia obligant sub gravi poena depositionis, aut excommunicationis.

Gravis autem poena supponit gravem culpam. Verumtamen ne statim inde inferas, omnem Clericum, aut Monachum curis secularibus addictum semper peccare mortalitèr. In hac enim materia, non secus ac in aliis, datur levitas materiæ, & possunt esse causæ legitime excusantes. Insuper debet attendi, an Clericus, vel Monachus cupiditate lucri moveatur, & an propter curas seculares munia sui status negligat; hæc enim duo a Clericis removere præsertim intendunt leges. Igitur eum Clericum, aut Monachum peccare mortalitèr arbitror, qui, dum sibi aliunde sufficienter est provisum, solet insistere personalitèr negotiationi, vel arti mechanicæ, aliisve negotiis secularibus ex mera intentione lucri, & inde impeditur, ne convenienter secundum suum statum Deo militet, & debitè officiis fungatur.

Dixi 1. *Solet insistere*: quia non pauci excusant a mortali, si semel tantum, aut iterum negotiationem exercent, modo negotio non sit turpis, & absit scandalum; quia Jura, tam gravibus poenis negotiantem Clericum subjectionem, non videntur intendisse actum transuentem: sed habitum, & consuetudinem. Dixi 2. *Personalitèr*: quia pluri etiam excusant saltè a mortali Clericum, qui sic negotiatur per alios, ut nihil aliud agat, quam subministrare pecuniam, & dividere lucrum. Quia nempe in hoc modo negotiandi non est tanta indecentia, neque rationes prohibitionis æquè militent, ac si personalitèr negotiaretur. Quod si sibi retineat aliquam partem commercii, sollicitando, dirigendo, instruendo, plus minùs peccabit, secundum quod plus, vel minus occupabitur. Si autem per alios negotietur tamquam per famulos, factores, aut proxenetas, apertè impedit in leges; quia hoc est propriè agere mercatorum. Addit Sylvius, quod, si clam & sine scandalo negotietur Clericus non constet esse mortale, antequam moveatur de abstinendo.

Nullatenus autem peccant Clerici, vel Monachi, qui negotiis secularibus se immiscet in sublevamen pauperum, pupillorum, orphanorum, & viduarum, ut expressè fert Can. *Decrevis* cit. Eadem ratione videtur excusandus filiusfamilias Clericus, qui ex pietate in parentes gerit familiæ negotia, & res domesticas aliquo periturus. Quia hi non agunt ex cupiditate turpis lucri, sed charitatis affectu. Item excusantur Clerici & Monachi, qui recreationis causa, aut ne otio torpescant, aliquas artes honestas exercent, licet ex suis artefactis quoddam lucrum reportent per accidens; quia non intendunt principalitèr lucrum. Similiter excusantur, qui ut propter inopiam subveniant, vel ne sint aliis onerosi, ad tempus negotia gerunt, vel alicui arti vacant, sic antiqui Monachi, ut sibi necessaria provident, leguntur insitisse sportis, aut similibus conficiendis. Sic Paulus artem scenofatoriam exercuit, ne suos hospites gravaret. . . Act. 18. In his enim non est inhære lucro, ut patet. Tandem neque in leges impingunt Clerici, vel Monachi, qui agros proprios colunt, & eorum fructus vendunt, aut ex eis animalia nutriunt, quæ vendant: secus, si alienos agros conducere ut fert cap. *Secundum* cit.

## DISSERTATIO IV.

## DE MUTUO ET USURA.

## Div. Thom. Quæst. 78.

## ARTICULUS I.

## Quid sit Mutuum?

Mutuum, sic dictum quasi *Ex meo tuum*, duplicitèr accipi potest, vel pro re ipsa mutuata, ut dum dicimus dari mutuum, accipi mutuum; vel pro ipsa mutatione. Et de mutuo sub hac ultima acceptione queritur, quid sit? Pro quo dico: Mutuum definitur *Contractus onerosus, quo quis rem suam sic alteri tradit, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi postea rem eandem, non numero, sed specie & bonitate.* Colligitur ex §. 1. Instit. *Quibus modis* l. 3. tit. 15. & ex l. 2. ff. *De rebus creditis.* Explicatur.

Dicitur *Contractus*, & est genus: additur *onerosus*, ut distingatur a contractibus omninò gratuitis, ut est donatio; quia & in mutuatore est obligatio non repetendi mutuum nisi intra certum tempus, & in mutuario obli-

gatio reddendi rem aliam æquivalentem. Cætera sunt in eo gratuita. Dicitur: *Quo quis rem suam alteri tradit.* Secundum Jura laudata materia mutui sunt res, quæ dantur ad numerum, pondus, aut mensuram, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia, &c. Quia, cum debeant reddi ejusdem speciei & bonitatis, id bene servari non possent nisi ad numerum, pondus, aut mensuram darentur & redderentur. Dicitur in *Jure Res fungibiles*; quia propter similitudinem, quam habent in eadem specie & æqualitate in numero, pondere, vel mensura, potest una in commutationibus, aut solutionibus alterius vice fungi: & secundum hoc libra auri, vel argenti potest in rigore Juris esse materia mutui. Imò quidam disputant, nam equi, boves, oves, & similia non possunt subijci mutuo. Alii negant, quia hæc non consistunt in numero, pondere, & mensura, siquæ facerent aliquem contractum inominatum, puta, do, ut des. Alii affirmant, quia hæc possunt dari ad pondus, aut numerum, atque in tali contractu re-

peritur substantia mutui: etenim, inquit, si possint dari unum ovum mutuo, quidni una ovis; sed videtur quæstio de nomine, & ideo ut ab his triciis abstineremus, posui in Conclus. *Rem simpliciter.*

Cæterum in praxi materia mutui est regularitèr res aliqua ipso usu principalitèr, & quidem unico, consumptibilis, sive physicè, sive moralitèr, ut sunt vinum, panis, pecunia; usus enim vini principalis est potari, & dum potatur, consumitur physicè; similiter panis, dum manducatur: usus principalis pecunie est distrahi in commutationibus, & dum distrahitur consumitur moralitèr; perit enim distrahenti, non secus, ac si consumeretur: & sub hac tantum ratione considerat mutuum S. Th. in tota hac quæst. Et hic vestes, libri, vasa, instrumenta artis, equi & similia, quæ unico actu non consumuntur, mutuari non solent, sed commodari, aut locari. (*Q. 78. art. 1. ad 6.*) Observa tamèn, etiam res, quas distrahendo ipso suo usu principali consumi, posse etiam commodari, aut locari quoad secundarium aliquem usum, ut pecunia ad ostentationem, aut ad ponendum loco pignoris.

Dicitur: *Tradit*: quia contractus mutui traditione rei perficitur, non nudis verbis, aut solo consensu, sicut venditio, & emptio; ut diximus de Contractibus in genere. Dicitur: *ut statim fiat accipientis*; quia per mutuum rei proprietatis, & dominium transfertur in mutuatarium; ita enim a me tibi datur, inquit Jura cit. ut ex meo fiat tuum; & per hoc distinguitur mutuum a commodato, locato, deposito, pignore, & hypotheca, in quibus non transfertur dominium; & ideo statim, ac res est mutua, totum ejus commodum, aut incommodum, melioratio, aut deterioratio, periculum, & interitus pertinent ad mutuatarium. Dicitur: *cum obligatione reddendi*; alioquin foret donatio. Additur *postea*, hoc est intra certum tempus, alioquin mutuum foret inutile, & nugatorium: nemo enim petit rem mutuo, nisi qui non habet modò æqualem, quæ vicem mutuatæ fungi possit. Non potest ergo regularitèr mutuum repetere mutuum antè præfinitum tempus; aut si non sit præfinitum, antè completum usum, seu finem, ad quem mutuatarius petit mutuum; idque arbitrio judicis, aut viri prudentis determinandum, attento fine, & aliis circumstantiis. Potest tamèn ipse mutuatarius, quando voluerit; reddere, quia in ejus favorem terminus non reddendi citius præfigitur.

Dicitur: *rem eandem, non numero*: quod sic debet intelligi, ut æquidem non sit obligatio reddendi rem numero eandem, cum transferatur dominium, & usus, ad quem communicari datur, sit ejus consumptio: possit tamèn eandem numero reddi. Dicitur: *eandem specie*: quia, si esset alterius speciei, ut vinum pro oleo, pecunia pro frumento, foret permutatio, aut venditio. Debet autem intelligi de specie eadem sive physicè, sive moralitèr. Etenim si res mutuata sit alia a pecunia debet reddi species eadem physicè, ut vinum pro vino, frumentum pro frumento: at, si res mutuata sit pecunia, non est necesse, ut reddatur species eadem physica, ut aurum pro auro, argentum pro argento; sed sufficit, quod reddatur species eadem moralitèr, id est, idem valor. Ratio disparitatis est: quod in rebus mutuatis, aliis a pecunia, attendatur eorum bonitas intrinseca, & corpus, non valor extrinsecus: non enim peto frumentum mutuo propter ejus pretium, sed propter ejus corpus, & substantiam: at in pecuniis mutuatis contra non attenditur regularitèr bonitas intrinseca, seu corpus pecunia, sed ejus valor extrinsecus; non enim peto mille libellas mutuo, quia est aurum, ut argentum, sed quia tantum valent: & iste valor moralitèr loquendo est intrinsecus, & essentialis pecunie, ut pecunia est, hoc est, ut est mensura rerum: undè, cum redduntur pecunie ejusdem valoris, sive sint aureæ, sive argentæ, redditur species eadem moralitèr. Dicitur tandem: *eandem bonitate*; quia alioquin non foret æqualitas, ut si vinum tenue pro generoso, novum pro veteri reddas: tantum ergo debet reddi, quantum fuit acceptum, nec plus, nec minus: & per hanc particulam maxime discernitur, quando mutuum est usurarium; si enim mutuator plus exigit vi mutui, quam dederit, usurarius est; si mutuatarius minus reddat, injustus est.

Sed difficultas est, qualitèr sit reddendum mutuum, quando pecuniarum, seu aliarum rerum mutuatorem valor extrinsecus crevit, aut decrevit? R. ex principiis positis. In rebus mutuatis aliis a pecunia, attenda præcisè natura contractus mutui, & si non interveniat alia conventio, debet reddi eadem quantitas, seu mensura, quæ fuit mutuata, sive creverit, sive decreverit eorum pretium; seu valor extrinsecus: v. gr. accepisti mutuo absque termino *Theol. Billuati. Secunda Secunda.*

solutionis præfixo 4. modios frumenti, quemlibet valentem 20. libellis; teneris reddere 4. modios, nec plus, nec minus, quamvis tunc, cum reddis, quemlibet valeat plus, vel minus 20. libellis. In pecuniis verò mutuatis, attenda similiter præcisè natura mutui, & secluso quovis alio pacto, non debet reddi eadem quantitas materialis, seu idem numerus denariorum mutuatorum, sed idem valor, qui acceptus est: v. gr. accepisti mutuo absque termino solutionis præfixo 10. aureos quemlibet valentem 20. libellis, omnes simul 200. libellis; si, dum reddis, quemlibet aureus valet 25. libellis, non teneris reddere 10. aureos; si valeat tantum 18. libellis, teneris reddere plures quam 10. uno verbo, teneris reddere 200. libellas, sive creverit, sive decreverit valor aureorum. Ratio petitur ex dictis: quia in rebus mutuatis, aliis a pecunia, attenditur corpus, seu bonitas intrinseca, & naturalis; in pecuniis verò attenditur valor extrinsecus: & ideo in illis debet reddi tantumdem in bonitate naturali, in istis tantumdem in valore extrinseco. Est communis sententia, sicut & praxis. Neque peccat saltè contra justitiam mutuator, si ex industria non repetat mutuum, nisi tunc cum videt v. gr. frumentum plus valere, aut pecuniam minoris; paratus tamèn recipere, si antea reddat mutuatarius; qui etiam sine injustitia potest reddere frumentum, cum minoris valet, aut pecuniam, quando plus valet; quia uterque utitur jure suo, attenda natura contractus mutui: quod si mutuator minus aliquo sensu recipiat, sibi imputet quod non repetierit antea; similiter mutuatarius, si plus aliquo sensu reddat, sibi imputet quod non reddiderit citius. Ita Soto, Navarr. Toler. Layman, & alii. Dixi: *Attenda natura mutui, & secluso alio pacto*: Utrum verò, & quomodo possit licitè aliter iniiri pactum? Non nihil difficultatis, & obscuritatis continet. Id peto habendum præ oculis, quod dicit Auctor Opusc. 73. *de usuris* inter opera D. Thomæ: In his mutui, & usuræ casibus intentionem accusare, & excusare, ubi adest intentio lucrandi usuram esse; si abest, usuram non esse: itèr aliud esse damnatum vitare, aliud lucrum intendere. His prænotatis, sic explicamus:

Circa pecunias mutuatas 1. Qui mutat pecuniam v. gr. 10. aureos valentes 200. libellis, determinato tempore reddendis, potest pacisci de præsentis valore, hoc est de 200. libellis reddendis, etiamsi sciat aureorum valorem fore imminutum tempore redditionis præfixo; tum quia habet jus ad præsentem valorem suæ pecunie, ideoque potest de illo pacisci; tum quia nullum inde obtinet lucrum, sed vitat damnum, quod non est illicitum. Ita Pontas verbo *Præst.* cas. 4. ex Auctore opusc. 73. cit. apud S. Th. 2. Non potest pacisci de 10. aureis in specie reddendis, si sciat eorum valorem auctum iri tempore solutionis; quia sic intenderet lucrum ex mutuo, nisi forte ratione damni emergentis; puta, quia eos servaturus erat usque ad tempus certi incrementi. Itèr, si ipsius interesset rehabere easdem species, posset pacisci pro rata interesse; non tamèn obligare mutuatarium ad reddendum tot, & easdem species, quot accepit, si augmentum superet interesse 3. Si sit æquale dubium, an valor aureorum sit augendus, vel minuendus tempore fixo redditionis, potest pacisci de iisdem in specie reddendis; quia tunc æqualitèr exponitur periculo damni, & lucri, & pat est utriusque mutuatoris, & mutuatarii conditio.

Circa res mutuatas alias a pecunia: 1. Qui mutat res alias a pecunia, tempore redditionis præfixo, v. gr. 4. modios frumenti; si dubius sit, an modius frumenti plus, vel minoris valebit tempore statuto redditionis; potest pacisci de reddendis tot modijs, quot mutuavit: Patet ex dictis. 2. Si certò, aut probabilius sciat, pretium frumenti imminutum iri tempore fixo redditionis, potest pacisci de præsentis pretio, consequentèr de reddenda majori quantitate ad æqualitatem pretii præsentis; v. gr. mutuasti mense Majo modium frumenti, valentem 20. libellis, reddendum mense Octobri, quo verisimiliter minoris valebit; potest pacisci de 20. libellis, seu de quantitate frumenti reddenda, quæ valeat 20. libellis; ita ut, si mense Octobri modius valeat tantum 10. libellis, duo modii sint tibi reddendi: idque probabilius verum est, etiam si tuum frumentum non fuisset servaturus usque ad mensem Octobrem. Ita Pontas verbo *usure* cas. 17. post Cabassutum, & alios. Ratio est; quia, ut jam dictum est, habes jus ad præsens pretium tui frumenti, & sicut illo pretio potes vendere, etiam secundum illud potes muturare. Neque refert, quod dixerimus in hujusmodi mutuis non spectari pretium, sed bonitatem tantum naturalem; id enim verum est attenda præcisè ratione mutui, & secluso quo-